



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Canones Concilii Antiocheni. Ex interpretatione Isidori Mercatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta <sup>ANNO CHRISTI
341</sup>
^{2. Timoth. 6.} sanctum Apostolum sic dicentem: *Habentes vi-*
etum & tegumentum, his contenti sumus. Quod
si contentus ipsis minime fuerit, conuertat au-
tem res ecclesiæ in suos usus domesticos, & eius
commoda vel agrorum fructus, non cum presby-
terorum conscientia diaconorumque pertractet,
sed horum potestatem domesticis suis, aut propin-
quis, aut fratribus, filiisque committat, ut per hu-
iusmodi personas occulte ceteræ lèdantur ecclæ-
siæ, Synodo prouinciæ pœnas iste persoluat. Si
autem & aliter accusetur episcopus, aut presbyteri
qui cum ipso sunt, quod ea quæ pertinent ad ecclæ-
siam, vel ex agris, vel ex alia qualibet ecclesiastica
facultate sibi metus usurpent, ita ut ex hoc affligantur
*quidem pauperes, * criminatori vero & blasphe-*
† Superius tantum xxxix. ex- primuntur, qui supra in principio alterius translatio- nis huius Concilii annotati sunt.
miis tam sermo prædicationis, quam hi qui dispen-
sant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi,
sancta Synodo id quod condecet approbante.
Et subscripterunt triginta † episcopi, qui in eodem
Concilio conuenerunt.

C A N O N E S C O N C I L I I A N T I O C H E N I .

Ex interpretatione Isidori Mercatoris.

T I T U L I C A N O N V M .

- | | |
|-----------------------------------|------------------------------------|
| I. Non licere pascha diuerso tem- | nicatis communicare. |
| pore facere, neque cum Iudeis | III. Non debere clericum ad ecclæ- |
| celebrare. | siam migrantem ibi persuera- |
| II. Non licere communionem ec- | re. |
| clesia contemnere, aut excommu- | IV. Non licere episcopo, vel cui- |

M P P.
, iuxta ^{ANNO}
tes vi. ^{CHRISTI}
Quod
tat au-
& eius
presby-
ractet,
propin-
per hu-
eccl-
uat. Si
sbyteri
eccl-
esiastica
igantur
lasphe-
dispen-
corrigi,
bante.
eodem
—
. N I.
ad eccl-
seruera.
vel cui-

- IVLIVS P. I. ANTIOCHENVM. CONSTANTIVS CONSTANS IMP. 663
- ANNO CHRISTI 341.
- quam clericis, si exauktoratus fuerit, ministrare.
- V. Non licere clericis, contempto episcopo, seorsum se colligere.
- VI. De excommunicatis.
- VII. Nullum peregrinum absque episcopis suscipi.
- VIII. Ut epistole a solo fiant chore-piscopo.
- IX. De metropolitanis episcopis.
- X. De choreepiscopis.
- XI. De his episcopis vel clericis qui sine literis episcorum ad imperatorem vadunt.
- XII. De episcopis vel clericis depositis.
- XIII. Non licere episcopis in aliena prouincia clericos ordinare.
- XIV. De episcopis accusatis.
- XV. De quibus supra.
- XVI. De episcopis vacantibus.
- XVII. De episcopis qui, accepta manus impositione, non acquiescent suscipere ministerium.
- XVIII. De his quibus supra.
- XIX. Non licere sine consilio metropolitani episcopi episcopum ordinari.
- XX. Ut bis in anno Synodus celebretur.
- XXI. Episcopum de diaceſt ad diaceſim non debere transire.
- XXII. Episcopum non debere in alienam irruere ciuitatem.
- XXIII. Episcopo non licere successoris ſibi conſtituere.
- XXIV. De rebus ecclesiasticis & episcopalibus.
- XXV. Episcopum habere potestatem in rebus ecclesiasticis expōnendis.

C A N O N E S.

I.

OMNES qui audent dissoluere regulam sancti & magni Concilii Nicæni, quod celebratum est in præsentia Dei amantissimi Constantini imperatoris, de sancta & salutari festiuitate paschali Salvatoris nostri, excommunicatos & electos ab ecclesia esse debere, maxime si persevererent studio contentionis, ab subuertenda ea quæ optime constitutasunt. Et hæc quidem dicta sunt de laicis. Si autem de præpositis ecclesiæ aliquis, id est, vel episcopus, vel presbyter, vel diaconus, post hanc definitionem, & hunc terminum, ausus fuerit, in subversionem populorum & perturbationem ecclesiarum, seorsum colligere, & cum Iudeis pascha voluerit celebrare, hunc sancta Synodus ab hoc iam

alienum ab ecclesia esse iudicauit, tamquam eum qui non solum proprii peccati, sed & aliorum corruptæ mentis & conuersationis supplantator extiterit, reus. Et non solum huiusmodi deponit a sacerdotio & ministerio, sed & eos qui ausi fuerint his communicare post damnationem. Depositos autem etiam honore qui extrinsecus est priuari oportet, quem sanctus Canon & Dei sacerdotium promeruit.

II.

Ex apost.
Can. 10.

Omnes qui ingrediuntur in ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, auersantur etiam sanctam assumptionem dominici sacramenti, secundum aliquam propriam disciplinam, hos ab ecclesia eiici oportet, donec confitentes, fructum pœnitentiae demonstrent, & deprecati fuerint, ut data venia suscipi mereantur. Non autem licet communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare qui ecclesiæ non participant in oratione, nec in alteram ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si quis episcoporum vel presbyterorum, vel diaconorum, vel etiam qui in Canone detinentur, excommunicatis communicare deprehensus fuerit, & hunc oportet communione priuari, tamquam ecclesiæ regulas confudentem.

III.

7. qu. 1. Si
quis presby-
ter, vel dia-
conus,

Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus, deserta sua ecclesia ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tentet, quo migravit,

IMPP.
m eum ^{Anno}
um cor-
or exti-
nit a fa-
fuerint
positos
priuari
lotium

IVLIVS P. I. ANTIOCHENVM. CONSTANTIVS ^{CONSTANS} IMPP. 665
ANNO CHRISTI 341. uit, perpetuo manere, vterius ministrare non debet, præsertim si ab episcopo suo ad reuertendum fuerit exhortatus. Quod si & post euocationem sui episcopi non obedierit, sed inobediens perseuerauerit, omnibus modis ab officio suo deponi debere, nec aliquando facultatem habeat ad ecclesiasticum ordinem redeundi. Si vero propter hanc culpam depositum alius episcopus susceperit, & ipse a communi Synodo arguatur, tamquam ecclesiastica iura dissoluens.

IV.

Si quis episcopus a Synodo fuerit depositus, vel presbyter, vel diaconus, a proprio episcopo condemnatus, & præsumpserit sacerdotii seu sacri ministerii aliquam actionem, non ei amplius liceat neque in alia Synodo spem restitutionis habere, neque ^{*fatigatio} assertionis alicuius locum, sed & communicantes ei abiici omnes ab ecclesia, maxime si, postquam cognoverunt sententiam aduersus eum fuisse prolatam, ei contumaciter communica- runt.

V.

Si quis presbyter, vel diaconus contempto suo episcopo, seipsum ab ecclesia segregauerit, & priuatim apud se, collectis populis, altare erigere ausus fuerit, & nihilo minus, episcopo se exhortante, & semel & iterum reuocante inobediens extiterit, hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando consequi curationem, aut proprium honorem precipere speret. Quod si etiam perseue-

Concil. Tom. 2.

PPP

666 IULIVS P. I. C O N C I L I V M C O N S T A N T I V S
C O N S T A N S } I M P .

erauerit, conturbans & concitans ecclesiam, per ANNO
eam, quæ foris est, potestatem, hunc tamquam
seditiosum corripi oportet. CHRISTI
341.

V I.

II. qu. 3. Si quis a proprio episcopo excommunicatus est,
non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi aut a suo
fuerit receptus episcopo, aut, Concilio facto, oc-
currat ut respondeat. & si Synodo satisficerit, * sta- * quod
tuimus sub alia sententia eum recipi. Quod etiam flauerit,
circa laicos, & presbyteros, & diaconos, & omnes
qui in clero sunt, conuenit obseruari.

V II.

Distin&. 71.
Nullum
absque for-
mata.

Nullum absque formata (quam Græci episto-
lam dicunt) peregrinorum clericorum suscipi o-
portet.

V III.

Chorepi-
scopi qui.

Neque presbyter ad regiones longinquas for-
matas (id est canonicas) epistolas dare , & ni-
si ad finitimos episcopos , simplices epistolas
mittere præsumat. Vicariis vero episcopi, qui a
Græcis chorepiscopi vocantur, formatas facere
liceat.

I X.

6. qu. 3. Per
singulas
prouincias.

Per singulas prouincias episcopos constitutos sci-
re oportet , episcopum metropolitatum , qui
præst , curam & solicitudinem totius prouinciarum
suscepisse. Propter quod ad metropolitanam ciuitatem
ab his qui causas habent sine dubio concur-
ratur. Quapropter placuit eum & honore præire,
& nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere se-
cundum antiquum patrum nostrorum qui obti-

IMPP.
am, per
umquam

ratus est,
aut a suo
acto, oc-
erit, * sta-
od etiam
x omnes

i episto-
scipi o-
itrollin
orpon
uas for-
, & ni-
pistolas
, qui a
facere

tos sci-
, qui
uincia
n ciui-
oncur-
præire,
ere se-
i obti-

IVLIVS P. I. ANTIOCHENVM. CONSTANTIVS & CONSTANS IMP. 667

ANNO
CHRISTI
341.

nuit Canonem, nisi hæc tantum quæ vniuersiisque ecclesiæ per suam diœcesim cōpetunt. Vnumquemque enim episcopum oportet habere suæ diœcesis potestatem, ad hanc gubernandam secundum competentem sibi reuerentiam, ad prouidendum omni regioni, quæ sub ipsius est ciuitate, ita ut etiam ordinare ei presbyteros & diaconos probabili iudicio liceat, & de singulis illius regionis causis cum moderatione & pondere disceptare. Vltra autem nihil agere permittitur citra metropolitani episcopi conscientiam, nec metropolitanus sine ceterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

X.

Qui in villis & vicis constituti sunt chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab episcopis suscep-
perunt, & vt episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctæ Synodo scire eos oportere modum proprium retinere, & gubernare adiacentes ecclesias sibi commissas, & esse contentos propria sollicitudine & gubernatione, quam suscep-
perunt. Constituere autem his permittitur lectors, & subdiaconos atque exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare, præter conscientiam episcopi ciuitatis vel ecclesiæ, cui adiacens inuenitur seu ipse, seu regio in qua præesse dignoscitur. Quod si quis præuaricari ausus fuerit constituta, deponi eum, & dignitate qua prædictus est debere priuari. Chorépiscopus autem ab episcopo ciuitatis, vel loci, cui idem adi-
acet, ordinandus est.

Concil. Tom. 2.

Pppp ij

X I.

Si quis episcopus, vel presbyter, vel quicumque clericus, & omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus, praeter consilium vel literas eorum episcoporum, qui sunt intra prouinciam, & maxime metropolitani, ad imperatorem perrexerit, hunc abdicari & eiici non solum de communione debere, sed etiam propria dignitate priuari tamquam molestum & importunum imperialibus auribus, contra ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogat ad imperatorem excurrere, propter aliquam actionem, cum deliberatione & consilio metropolitani ipsius prouinciae episcopi, & ceterorum conscientia episcoporum, qui in eadem prouincia sunt, atque cum literis eorum ire debet.

X II.

Si quis a proprio episcopo depositus vel presbyter, vel diaconus, aut etiam si a Synodo quilibet episcopus fuerit exauktoratus, molestiam imperialibus auribus inferre non praesumat, sed ad maiorem episcoporum Synodum sese conuertat, & quæ se putat habere iusta in eorum Concilio alleget, atque ab his de se expectet quæ fuerit deprompta sententia. Quod si deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed imperatori fuerit importunus, huiusmodi nullam veniam habeat, neque locum ullius assertio-
nis suæ, nec spem recipiendi gradus habeat in futu-
rum.

X III.

g. q. 2. Nullum episcopum audere debere ex alia prouin-
cia ad aliam transitum facere, & ordinare aliquos in

episco-
pum audie-
re.

ANNO
CHRISTI
341. ecclesiis, aut prouehere ad sacrum ministerium, nec
alios illuc secum attrahat episcopos, nisi forte per
literas rogatus, abierit, non solum a metropoli-
tano, sed & ab his, qui cum eo sunt, omnibus
ipsius prouinciae episcopis. Quod si nullo inuitan-
te, inordinate superueniat, & aliquos vel ordi-
nare præsumpserit, vel quoslibet actus illi eccl-
esiæ competentes, quæ ad se minime pertinent,
vsurpare tentauerit, vacua quidem & inania erunt
omnia quæ gesserit, ipse vero huius indisci-
plinati ausus & irrationabilis cœpti dignas causas ex-
pendat, tamquam depositus a Synodo sancta, &
propter huiusmodi præsumptionem iam præda-
mnatus.

X I V.

Si quis episcopus de aliquibus causis criminali-
bus in iudicio episcorum fuerit accusatus, con-
tingat autem de ipsis episcopos prouinciae qui
conuenerunt diuersas habere sententias, & alios
quidem innocentem eum pronuntiare, alios reum,
propter huiuscmodi itaque controuersiam ampu-
tandam, placuit sanctæ Synodo metropolita-
num episcopum alterius vicinæ prouinciae aduo-
cari oportere, & aliquantos cum eo episcopos
alios; qui pariter residentes quæcumque fue-
rint dirimant quæstiones, propter hoc, ut firmum
sit iudicium quod ab unius prouinciae episcopis
fuerit promulgatum.

X V.

Si quis episcopus criminaliter accusatus ab om-
nibus, qui sunt intra prouinciam, episcopis, ex-
6. q. 4. Si
quis episco-
pus crimi-
naliter in
iudicio.
PPP iii

670 IULIVS CONSTANTIVS
P. I. CONCILIVM CONSTANS IMP.

ceperit vnam consonamque sententiam , ab aliis
vlterius iudicari non poterit , sed manere circa
eum oportet , tamquam conuenientem , quæ ab
omnibus prolatæ est , firmam ratamque senten-
tiam.

ANNO
CHRISTI
341

X V I.

Si quis episcopus vacans in ecclesiam vacan-
tem superuenerit , & hanc obrepenter , præter ple-
nariam Synodum , diripiendam esse crediderit ,
hunc abiici oportet , tametsi eum plebs , quam di-
ripuerit , velit sibi episcopum retinere. Illa autem
dicitur Synodus plenaria , in qua etiam episcopus
metropolitanus adfuerit.

X V I I.

Dist. 92. Si
quis episco-
pus vacans.
Itud est in
decr. Iuo.
lib. 4. Si quis episcopus , suscepta manus impositione ,
& deputatus populis præesse , non suscipiat mini-
sterium sacerdotii , nec consentiat abire in eccle-
siam cui fuerat ordinatus , hunc incommunicabilem
esse debere , donec coactus consentiat ple-
bem suscipere sibimet deputatam , aut prouin-
ciæ plenaria Synodus episcorum de eo aliquid
statuat.

X V I I I.

Dist. 92. Si
quis episco-
pus ordi-
natus. Si quis episcopus ordinatus non abierit in pa-
rochiam cui ordinatus est , non suo vitio , sed
plebis forsitan contradictione , hic honorem suscep-
tum retainere debet , & sacerdotio fungi , ita
ut nihil molestiæ afferat ecclesiæ illi in qua est con-
stitutus. Expectare autem eum oportet prouinciæ
plenariam Synodum , donec de eo quod compe-
tit statuatur.

IMPP.
ab aliis Anno
e circa Chalch
quæ ab 341.
senten-

vacan-
ter ple-
iderit,
am di-
autem
iscopus

itione,
mini-
eccl-
unica-
at ple-
ouin-
liquid

in pa-
, sed
susce-
i, ita
t con-
uincia
ompe-

IVLIUS P. I. ANTIOCHENVM. CONSTANTIVS CONSTANS IMPP. 671
ANNO CHRISTI 341.

XIX.

Episcopum non ordinandum sine consilio & præsentia metropolitani episcopi, cui melius erit, si ex omni prouincia congregentur episcopi. Quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt, proprijs literis consensum suum de ipso designent, & tunc demum, post plurimorum siue per præsentiam, siue per literas consensum, sententia consona ordinetur. Quod si aliter, quam statutum est, fiat, nihil valere huiusmodi ordinationem. Si vero etiam secundum definitas regulas ordinatio celebretur, contradicant autem aliqui, propter proprias & domesticas similitates, his contemptis, sententia de eo obtineat plurimorum.

XX.

Propter ecclesiasticas causas, & quæ existunt controuerfias dissoluendas, sufficere visum est bis in anno per singulas prouincias episcoporum Concilium fieri. Semel quidem post tertiam hebdomadam paschalis festiuitatis, ita ut in quarta septima na sancti paschæ perfici Concilium possit, conuocante metropolitano episcopo omnes prouinciae episcopos. Secundo autem Concilium fieri Idibus Octobris, qui dies apud Græcos Hyperberetæ mensis decimus quintus inuenitur: ita ut in his Conciliis procedant omnes presbyteri, diacones, & reliqui qui se laſos dicunt, ut in Concilio eorum causa examinata, ad debitum iudicium perue-niant. Nec liceat vlli proprie apud semetipsum Concilium celebrare, præter eos quibus metro-poles creditæ sunt.

Dicit. 63.
Episcopus
non est or-
dinandus.

Dicit. 18.
Propter ec-
clesiasticas.
Et in decr.
Iuo. lib. 4.

7. q. 1. Episcopum de
diœcesi.

Episcopum de diœcesi ad diœcesim alteram non debere transire , neque si seipsum ingesserit , neque si a populis fuerit violenter attractus , neque si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur. Manere autem eum debere in ecclesia Dei , quam ab initio fortitus est , & non ab ea alio demigrare , secundum regulam super hoc olim a patribus constitutam.

XXII.

9. q. 2. Episcopum non
debere.

Episcopum non debere in alienam irruere ciuitatem , quæ illi probatur non esse subiecta , neque in regionem , quæ ad eius curam minime dignoscitur pertinere , ad aliquid ordinandum , neque presbyteros , neque diaconos constituere ad alias episcopos pertinentes , nisi forte cum consilio & voluntate propriæ regionis episcopi. Quod si quispiam horum aliquid audere voluerit , irrita quidem erit huiusmodi ordinatio , & is qui male usurparit a Synodo arguatur. Nam si ordinare non potuerit , nullatenus alterius parochianum iudicare præsumat.

XXIII.

Episcopo non licere , tamquam successorem sibi futurum , constituere alterum , quamvis circa viciniam mortis habeatur. Quod si tale aliquid factum fuerit , irrita sit huiusmodi ordinatio. Custodiri autem oportet ecclesiastica constituta , quæ se ita continent , non posse aliter episcopum fieri , nisi in Concilio & cum consensu episcorum , eorum dumtaxat , qui post obitum illius qui præcessit habuerint potestatem eum qui dignus fuerit prouehendi.

XXIV.

APP.
ANNO
CHRISTI
341.

IVLIVS P. I. ANTIOCHENVM. CONSTANTIVS & CONSTANS IMP. 673

ANNO
CHRISTI
341.

XXIV.

Quæcumque res ecclesiæ sunt, bene debent cum omni diligentia & bona fide seruari: illa scilicet fide, quæ Deo seruatur, omnia prouidenti atque iudicanti: easque gubernari & dispensari oportet cum iudicio & potestate episcopi, cui totius plebis animæ videtur esse cōmissæ. Manifesta autem esse oportet, quæ ecclesiæ competunt, sub conscientia eorum presbyterorum & diaconorū, qui circa ipsum sunt, vt ipsi non ignorent, nec eos aliquid lateat eorum quæ sunt propria ecclesiæ. Vt si contigerit episcopum ex hac vita migrare cum manifestæ sunt & notæ res ecclesiasticæ, non intercidant atque depereant, sed nec res propriæ episcopi, tamquam obnoxiae, rerum ecclesiasticarum occasione, ullius pulsentur iniuria: quia iustum & acceptū est apud Deum & homines, quæ propria sunt episcopi, quibus ipse iusserit delynqui, & quæ ecclesiæ, ipsi seruari. Ita enim fit, vt nec ecclesia damno aliquo affligatur, nec episcopus occasione rerum ecclesiasticarum proscribatur, neque pertinentes ad eum causas incurrit, quo post mortem memoria eius maledictis aliquibus oneretur.

XXV.

Episcopum habere rerum ecclesiasticarum potestatem ad dispensandū omnibus indigentibus cum omni timore & reuerentia Dei. Ipsum quoque ex eis percipere atque vtidebere quibus indiget, si tamen indiget, vel ad suas necessarias expensas, vel fratrum qui apud eum hospitalitatis gratia commorantur, vt nulla ex parte per inopiā defraudentur, secundum Apostolum dicentem: *Habentes vistum quotidianū* & *1. Timon. 6.*

Concil. Tom. 2.

Qqqq

teram
serit,
neque
re au-
initio
ndum
.m.

e ciui-
neque
nosci-
e pre-
os epi-
& vo-
quis-
uidem
pau-
n po-
dicare

m sibi
vici-
ctum
iri au-
con-
Con-
umta-
erint
i.
XXIV.

tegumentum corporis his contenti sumus. Quod si his mi-
nime contentus atque sufficiens, transferat in neces-
sitates domesticas ecclesiasticas res, vel commoda
quælibet ecclesiæ, aut agrorum ecclesiasticorum
fructus citra conscientiam presbyterorum apud se
redigat, & domesticis suis vel etiam affinibus, aut
fratribus, aut filiis earum rerum tribuat potestatem,
ut per eorum secretam diligentiam ceteri ecclesia-
stici laedi videantur, reatū hunc, qui huiusmodi est,
apud metropolitanum prouinciae præstare debet.
Quod si aliter reprehendatur episcopus, vel qui cum
ipso sunt presbyteri, quo dicatur, hæc quæ ad ecclæ-
siam pertinent, siue de agris, siue de aliis quibuscum-
que ecclesiasticis causis, eos sibimet usurpare, pau-
peres vero necessitate & penuria opprimi, atque ex
hoc ipso non solum ecclesiasticæ rationi, verum
etiam dispensatoribus eius maledicta & reprehensio
augeatur: hos igitur correptionem oportet mereri,
quam condecet, sancta Synodo cognoscente. Euse-
bius omnibus quæ constituta sunt a sancta Synodo
præsens cōsensi. Theodorus, Nicetas, Macedonius,
Anatolius, Tarcodimantus, Æthereus, Narcissus,
Eustathius, Hesychius, Mauricius, Paulus, &c ceteri,

† Quorum nomina in Græco iam superius continentur.
† In initio huius Concilii adnotati.
Arianorum legati de calunnia conniciti ad Concilium prouocant.

Concilium.] Cum Iulius pontifex anno Christi 340. Concilium,
quod Arianorum legati, per Alexandrinæ Synodi deputatos con-
uiuti, ad causam Athanasii ab exilio reuocati latius discutiendam,
Romæ indici ac celebrari petuerant, indixisset, eosque ad præfi-
nitum terminum citasset, iamque Athanasius ultra annum eorum
aduentum præstolatus fuisse, ut honesto prætextu indictum Romæ
Conuentum subterfugere, auctore Constantio procurarunt, vt
Antiochiae nobilissimi illius templi, quod a Constantino Magno in-
ceptum, quodque sub Constantio postmodum absolutum, præ sui
excellentia dominicum aureum appellatum fuit, encænia & dedi-